

Christus per aves designari docet demones; quo supposito, quaerit Paulus de Palatio, quomodo haec aves, spiritus infernales, pascantur a Deo? Respondet autem, quod, quando diabolus licentiam petiit a Deo, cruciandus Jobum et obtinuit; intrandi imunda Geresanorum animalia et assecutus est; decipiendi Prophetas Regis Achab et impetravit, quod tunc, inquam, demones paverit: « Dominus fecit voluntatem eorum; clarum vero est, quod, cum facit, quae illi cupiunt, velut pascit eos; audi nunc valentissimum Christi argumentum; si demones etiam, hostes Dei, Deus ipse pascit, non defraudans eos a desideris suis, quanto potius pascet vos sibi amicos et servos? »

6. — Consideratione dignissima, quaedam circa praesens punctum doctrina sese offert Dionysii Carthusiani dicentis: « Videmus tamen, quod multae aves congregant victum in nidis, quemadmodum ergo volatilia pergunt ad grana et colligunt ea, secundum naturalem instinctum, ita hominibus committitur labor et providentia, non sollicitudo in quiete et anxia, vel avaritia. » Docet insuper, quod etiam Cajetanus advertit, voluisse Christum hanc similitudinem nos inducere ad imitationem avium, « similitudine proportionali, ut, quemadmodum volatilia pascuntur a Deo, faciendo, quod in se est, scilicet eundo ad locum, ubi est cibus, « omittendo officia incompetentia illis et excedentia tunc vires eorum, ut sibi metere, serere et hujusmodi; ita homo faciat, quod in se est, sua exerceat officia, omittendo sollicitudinem. »

7. — Lyranus differentiam tradit, quare natura avibus, loco vestium, assignavit plumas et quadrupedibus pelles; cur etiam in defensionem brutorum aliis rostrum, aliis cornua, aliis ungulas, aliis suppedilavit dentes, at vero solum hominem, nudum producat et inermem? Respondet: « Quia in talibus, in brutis, non est nisi natura sensitiva, quae est ad unum determinata, et ideo de talibus potuit eis sufficienter providere, quae est de se determinata ad unum; sed loco hujus homo habet intellectum, per quem potest cogitare diversas artes et modos, faciendi sibi vestes, et arma, et manus ad ornandum talia, et ideo oportet hominem de talibus sollicitari; quia tamen homo rationalis est, ideo ista sollicitudo debet esse moderata secundum regulam rationis rectae; et talem sollicitudinem hic non excludit Salvator, cum sit pars prudentiae; aliter sequeretur, quod homo tentaret Deum, si expectaret ab eo consilia, qui omnia necessaria, omittendo, quod debet fieri circa haec opera humana. » Non dicit de avibus Christus: « Non volant, non canunt, sed: *Non metunt, serunt, non congregant in horrea*; quia non hoc secundum, sed primum earum est officium; ita pariter non vult nos Deus otiosos, somnolentos et remissos; homo enim nascitur ad laborem et avis ad

volatum, *Job.*, v, 7, sed omni cordium anxietate exutos et a sollicitudine liberos; « sollicitudo autem, » inquit Lyranus, « quae hic prohibetur est « deordinata et superflua, per quam postponuntur « bona spiritalia. »

8. — Notandum est volucres semente potissimum nutrirunt agrorum, unde et nos pascimur, sed ecce discrepantiam; nunquam iis nutrimentum deficit, at nobis frequentissime, non obstante quacumque improba etiam sollicitudine nostra; quae tamen haec rerum dispensatio? nos sudamus et penuriam patimur; illae quiescunt inercias, et abundant. Respondet Ambrosius: « Illis idcirco elaborati pabuli usus « exuberat, quod communes sibi fractus ad escam « datos, speciali quodam nesciunt vindicare domi « natu; nos communia amissimus, cum propria « vindicamus. » Defectum hunc nostra causat in Deum diffidentia et cupiditas.

9. — Per haec volatilia S. Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*, intelligit contemplativos: « Sunt « sancti, penna contemplationis in aere suspensi, « qui ita a mundo sunt remoti, ut jam in terris « nihil agant, nihil laborent, sed sola contempla « tione jam in caelis degant. » Prosequitur textum idem sanctus, ostenditque, qualiter isti contemplativi a Deo nutriantur: « Pascit compunctione lacry « marum, amaritudine gemituum, desiderio eter « norum; pascit, dum eis imprimi pauperitatem et « humilitatem incarnationis suae, dolorem suae pas « sionis; pascit dulcedine contemplationis et coele « stis visionis suavitate. »

*Quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa.*

10. — Paulus de Palatio, in quoniam robor hujus argumenti principale versetur, declarat, dicens: « Efficacia rationis est: si volatilia, quae non « seminant, pascuntur, quanto magis vos pasce « mini, qui seminatis, metitis et in horrea conve « hitis? » Sed potentior alia accedit ratio, sequentibus innixa Christi verbis: *Et Pater vester caelestis pascit illa.* Quid equidem sentietis de Rege, qui unico sibi filio et regni successori, quem ut pupillam oculorum suorum diligit, sumptuosissimum construxisset palatium et insuper de viridariis, aurifodinis, hortorum deliciis, musica suavitate et omni denique causa desiderabili, eidem providisset, excepto pane, an non stultum diceretis patrem, qui filium hunc dilectissimum fame enecat, quem tantis aliis et deliciis et divitiis repleverat? quo obscuro fine cratribus ferreis inclusit foras, quo vivariis pisces, peramplis volucres caveis? quorsum tot deliciarum construxit hortos et loca in filii gratiam, si mensam illius non modo abundantibus instruere deliciis, sed et necessariis privare velit? Ita pariter dicite, sodes, cur Deus tot produxit animalia, tot

fecit germinari herbas, quo fine tantam rerum omnium comestibilium multitudinem et varietatem suppediavit? « Ut sint vobis in escam: *Omnia sub « jecisti sub pedibus ejus, oves et boves, etc.* » Unde Chrysologus, *Serm. lxxix*, inquit: « Quidquid caeli « micat, radiat et splendet ornatus, quidquid terra « flagrat in floribus, sapit in fructibus, in amanti « bus gaudet, nostro amore factum, nostrae addic « tum est servituti. » Axioma notum est philosophicum: « Propter quod unumquodque tale et illud « magis. » Et ideo si illum, cujus modo mentionem fecimus, quotidie mane quis videret, propria manu alaudis, falconibus et equis cibos ministrantem, omnique cum sollicitudine et diligentia, dies singulos annonam distribuentem feris in suis custodiis et piscibus in piscinis; habitari non posset illum passurum esse, ut filius, cujus amore et affectu praedicta animalia, tanta cura et providentia pascit, fame periret: *Aperi tu manum tuam et imple omne animal benedictione*, inquit David, et haec adhaec in cunctis animalibus pascentibus liberalis et aperta manus soli homini claudetur, cujus causa Deus creavit, quidquid in terra pulchri aut boni conspicitur?

11. — Notat Jansenius Christum, quando alimenti meminit volatilium, non dicere: *Pater earum sed Pater vester illa pascit*: « Non enim dicit: *Et Deus pascit ea*; sed *Pater vester, et caelestis*. Cum « dicit: *Et Pater vester*, significat Deum, qui volatilia pascit, cum illorum tantum sit Dominus non « pater, multo magis nos, quorum etiam pater, est « pasturus; cum proprium patris officium sit, filiis « alimenta prospicere. » Neque propterea, quod Christus hunc Patrem nostrum vocet caelestem, diffidentiam aliquam aut timorem concipere debemus, quasi vero eo ipso minus diligens et providus futurus sit in sustentando nos, miseros terrae vermiculos; nequaquam: « Cum nec indignum se putet, providentiam suam extendi ad volatilia. *Sicut miseretur pater filiorum, miseretur est Dominus timentibus se. Psal. cxi, 13.* » Eandem Jansenii doctrinam ipse quoque Albertus Magnus nobis exhibet, dum ait: « *Pater vester*, non illorum; quia non sunt ad « imaginem ejus, neque habent spiritum adoptionis « filiorum et ideo minor cura est ei de eis, quam de « sanctis. *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique Scriptura haec dicit?* »

*Nonne vos pluris estis illis.*

12. — Subtiliter ponderat Chrysostomus, *Hom. xiii in Matth.*, argumenti hujus robor, in una statere parte locando creaturas omnes irracionales, in altera vero hominem: « Multum quippe hic sermo « vim continet; ut ostenderet, quanto genus humanum Deo honore cumulaverit, quantam etiam « eorum curam gerat salutis; ac si diceret: Vos, « quibus rationalem animam dedit, corpusque for-

« mavit; vos, propter quos fecit omnia, propter « quos misit Prophetas, legemque constituit, propter « ter quos bona operatus est innumera, propter « quos etiam unigenitum Filium suum dedit. » Lyranus etiam particulam illam vos, pondere probans sanctuarii, ait: « *Nonne* coram id est, natura « humana est majoris ponderis coram Deo? quia « animalia facta sunt propter hominem, finis autem « nobilior est his, quae sunt ad finem. » Pater equidem, Deum in principio mundi, prius bestiis, deinde nobis pascula et alimenta assignasse, unde licet prima fronte deduci posse videatur, magis Deo curae fuisse bestias quam homines, contrarium tamen docemur a S. Ambrosio, qui difficultatem hanc movet et resolvit his verbis: « Forte mirentur « aliqui, quod prius pecori pabulum, quam cibus « homini sit creatus, in quo profundum Dei consi « lium debemus advertere, quod etiam minima « quaeque non negligat; sicut in Evangelio Sapien « tia Dei dixit: *Respicite volatilia caeli.* » At quis non videt, horum animalium alimenta ad nostras delicias ordinata fuisse? in tantum enim liberalitas et providentia divina, suam super bestias manum extendit, pascula impertiens, in quantum nostrae servint aut servire ordinatae sunt commoditati, voluptati, et necessitati et vestitui.

#### Additiones.

a. — *Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, etc.* Ut Dominus explanaret divitias bonitatis divinae, ac amplitudinem suae infinite providentiae, qua homines pascit, citra eorum omnem sollicitudinem, non adducit in exemplum Israelae, per quadraginta annos alitum in deserto, sed aves caeli. Potuisset afferre, ait Theophylactus, in exemplum Eliam et Joannem et meminit avium, ut admoneat nos, etiam illis esse brutiores. Homo omnium creaturarum magister ac dominus conditus est a Deo; tamen ita per peccatum a suo honore decidit, ac insipiens factus est, ut jubeatur multa discere, ac documenta sumere ab irrationalibus animalculis. *Jerem., viii, 7: Mitrus in caelo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Ubi comparat eis parvis animalculis, et dicit deteriores eis homines factos. Homo enim per peccatum fit bestis similis, imo pejor illis evadit. Regius Propheta, *Psal. xlviii, 13*, sic ait: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Porro innumerabilia sunt Sacrae Scripturae loca, in quibus peccator irrationalium animalium nomine indigitatur. S. Paulus, *Epist. I ad Cor., xv, 39*, de resurrectione corporum nostrorum disserens, hac loquendi utitur phrasi: *Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecorum.* At vero inquires: quid caro animalium cum carne

Christianorum, in resurrectione corporum commune habebit? S. Ambrosius, *de symb. Apost.*, mysterium explicat, dicens: « Alia est caro hominis, id est, servi Dei, alia est caro pecoris, id est, peccatoris et infidelis. » Nomine igitur bestie S. Paulus perditæ salutis hominem indicare intendit, siquidem hic *comparatus est iumentis insipientibus*. Salvator noster S. Petro tanquam suo electo in terris Vicario, indicare volens, ut paganos quoque, qui ad fances usque peccatis et vitiis immersi erant, ad fidem et legem Evangelicam admitteret, hunc modum observavit, *Act. Apoc.*, x, 9: *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret, et cum esuriret, voluit gustare; parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, et vidit celum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteam magnam, quatuor vinctis submitti de celo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentina terræ, et volatilia cæli; et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide et manduca. Quibus verbis Deus S. Petro gentium quoque conversionem imponere voluit; id vero quod vel maxime proposito nostro deservit, est quod impios Gentiles, per bruta et quadrupedia in hoc linteo contenta, delineare voluerit: « Utpote qui ferarum modo bestiali « viderentur induti servitia, » inquit S. Ambrosius, « nisi Spiritus Sancti sanctificatione mitescerent. »*

**D.** — Inauditum quid est, quod ipse Deus, qui tantopere inertie contrariatur, otiosas pascat aves; si enim veram est, quod Clemens Alexandrinus, *lib. I Stromatum*, sic alte fatatur: « Otio ac socordie « viaticum suppeditare, minime honestum est; » quis excusabitur, quod Deus his volatilibus, quæ nec serunt, nec melunt et nullam quasi operam agunt, abunde alimenta suppeditet? An fautor otii inde proclamabitur Deus? Absit. Altamen ad has aves hominem respicere jubet Dominus, quæ in singulari exemplum homini obijciuntur. Quo mysterio? Elucidat illud D. Gregorius, *lib. VI Moral.*, v: « Plerumque aves, quas ad volatum pennæ suble- « vant, in vepribus resident. » O stulte hinc sanæ aves! Ecce tibi volucris alipeta, leviter grato penarum otio nubes transvolat, et cælum habitare frustra præsumens, in vepribus residet, et levis ejus ignavia spinositate mulcatur, et condigna inertie penas solvit, dum negligentia torpet. Et ideo huc respiciendum, homines otiosos monet Salvator, et fatuitatem hanc otianti ab ipsis avibus dediscant, quæ dum otium sectantur, a vepribus plectuntur, quæ est stultitia magna, quod ab iisdem non avolent; ut bene notatur purpuratus ille Sapiens, *Prov.*, xii, 11: *Qui sedatur otium stultissimus est*. Cunctas jam expertus fuerat Salomon et degustaverat voluptates, omnibus, quam unquam sibi quispiam imaginari potest, potius et gavisus fuerat deliciis, siquidem ipse dixit: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis; nihilominus expressis verbis a*

Spiritu Sancto sibi dictatis decidit et resolvit, quod qui otio deditus est, supra modum fatuus sit et stultus. Porro varie textus hujus a sacris Expositioribus exhibentur interpretationes. S. Hieronymus exponit: « Qui pro salute animæ suæ nunc laborat « detretrat, tunc inter stultos reputabitur. » Lyrani Glossa est: « Quia ex hoc, incurrit defectum bono- « rum temporalium et spiritualium. » Cajetanus scribit hoc modo: « Vacantes otio sine officio, sine « arte, sine industria aliqua, quod ex defectu « cordis, hoc est, internæ virtutis evenerit affirmat « Salomon. » Hugo Cardinalis tamen tres distinguit gradus stultitiæ, quos incurrit temporis prodigus: « Primus gradus stultitiæ est, bonum non facere, « dum licet. Secundus, malum facere. Tertius, in « malo se assuescere. » Stultus est qui amat esse exorsus Deo et hominibus; talis est otiosus, cui aperte minatur Deus: *Quia lepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Otiosus causat Deo nauseam et horrorem, veluti vomitus efficitur solet. Admonitio est Episcopi Bellovacensis, quæ sequitur: « Ad « vitandum otium, movere nos debet honorum « amissio; otiosus enim perdit tempus suum, bona « spiritualia, temporalia et æterna. » Adducit deinde alia motiva: « Temporis brevitatis, velocitatis, « vel labilitatis ejus, irremediabilitatis, pretiositas, « quia est multum debitum vitæ nostræ insepara- « biliter conjunctum, quia est nostrum sive nobis « proprium, quia est rationis reddende obligato- « rium. » An non igitur extrema dementia est, summam capitalem tanti pretii inutiliter perfundere? Huic accedit, quod cœli, planetæ, omnesque aliæ creaturæ occupentur in continua operatione et motu, influendo propria virtute in hæc sublimaria; solus homo creatus ad operandum, *Homo nascitur ad laborem*, stabit in otio? « Quomodo non odio « prosequendum est otium, » dicebat S. Basilium Magnus, « quod formica et ape pejorem efficit « hominem? »

## VERSUS 27.

*Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?*

**1.** — « Si rem tantillam, » inquit Lucas Brugen- sis, « vestra sollicitudo non potest auferre nonnihil « staturam corporis, quomodo poterit corpus in « vita servare, quanta vis annonæ, opumque an- « gusta copia, nisi aspiret providentia Dei? » Bene autem notandum est verbum, *cogitans*, quod juxta Interlinearem nihil est aliud, quam « sua sollicitu- « dine et sagacitate. » Proinde Glossæ capiamus et exequamur consilium: « Illi autem curam regendi « corporis relinquit, qui illud ad hanc mensuram « fecit pervenire. »

**2.** — In his quoque verbis illos primario redar- guit autumat Cajetanus, qui bonis sibi temporalibus

comparandis solliciti insudant, ut vitam ducant longam, quam in penuria liment abbreviandam. « Con- « tra hunc timorem affert Jesus rationem ex effectu « cibi, in naturali motu augmenti, scilicet, quod « sicut vana est omnis cogitatio humana circa effec- « tum cibi in motu augmenti, nullus enim quan- « tumcunque cogitando, potest adjicere ad statu- « ram suam cubitum unum, ita vana est omnis « sollicitudo circa effectum cibi in medio nutritio- « nis; quantumcumque enim provideas de cibo et « potu, non propterea potes adjicere ad dies vitæ « tuæ annum unum. » An quisquam in congregan- dis et coarcendis divitiis sollicitior fuit divite illo, qui dicebat, *Luc.*, xii, 19: *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos? Et nihilominus audivit sibi dici: Hac nocte repetent a te animam tuam.*

**3.** — Chrysostomus, *Hom. xii in Matth.*, in hæc verba ita commentatur: « Ex quo etiam istud « ostendit, quia corpus ipsum non tam armonia « sui crescat, quam providentia conditoris. »

**4.** — Auctor operis Imperfecti, *Hom. xvi*, ex illis præmissis talem dedit consequentiam: « Si ergo « cogitando, modicam partem corpori vestro addere « non potest, quando cogitando salvandi estis in « toto. »

**5.** — Voluit Christus hæc verbis nimiam ex cordibus nostris eradicare sollicitudinem in vestimentis, quia inquit S. Anselmus, talem Christus formavit discursum: « Si in corpore nihil addere « potestis, sed solus Deus totum facit, nolite solli- « citi esse pro indumento corporis, quia qui corpus « fecit, vestiet corpus, mediante tamen providentia « hominum, per quem operatur et dat, quando « vult et quomodo vult. » Ad eandem pariter conformitatem Beda dicit: « Ac si dicat: Illi ergo « relinquitur curam tegendi corporis, ejus cura « factum esse videtis, ut tantæ staturæ corpus « habeatis. »

## VERSUS 28.

*Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent.*

*Et de vestimento quid solliciti estis?*

**1.** — Curiose advertit Jansenius, Christum dum meminit vestimenti, non adducere comparisonem volatilibus, quæ tamen nequam defuisset, imo plurimum forte servisset; pavones enim, cygnos, similesque aves alias, diversis iisque venustis natura exornavit plumis; hoc tamen non obstante, Christus solum adhibet similitudinem florum. Rationem facti hæc Auctor insinuat: « Ut ex variis rebus « exempla desumens et viliora etiam preferens, in « quibus Dei providentia elucet mire, efficacius « sollicitudinem excuteret. »

## II.

**2.** — Alium ex hoc Salvatoris discursu, commen- tarium deduxit Lyranus, hæc verbis expressum: « Ponit duplex exemplum: primum accipitur de « eo, quod est intra hominem, scilicet magnitudo « corporis, quam Deus dat homini sine sollicitudine « sua; » ideoque Christus dicebat, non posse nos per omnem etiam possibilibus industriam nostram, staturæ nostræ vel unius digiti quantitatem super- addere: « Cum ergo vestimentum competat majus « vel minus homini, secundum quantitatem corpo- « ralem et quantitas datur ei sine sollicitudine sua, « per consequens et vestimentum conveniens, abs- « que sollicitudine superflua; secundum exemplum « accipitur de eo, quod est extra hominem, scilicet « ex terra nascentibus. »

*Considerate lilia.*

**3.** — « Non solum per aves ratione carentes « admonet, sed et per lilia, quæ marcescunt, » inquit Theophylactus, « nam si Deus illa sic orna- « vit, quamvis nulla necessitas exigat, quanto magis « penuriam nostram in vestibus supplet? » S. Hieronymus florum venustatem, omnia artificia humana excedentem, hocce nobis expressit in dis- cursu: « Et revera quod sericum, quæ regum « purpura, quæ pictura texturicum potest floribus « comparari? Quid ita rubet ut rosa? Quid ita can- « det ut lilium? Viole vero purpuram nullo supe- « rari murice, oculorum magis quam sermonis « judicium est. »

**4.** — S. Nilus a sensu litterali ad morale transiens, ita de lilio discurret: « Animus perfectus ab « omni est sollicitudine vacuus, impius sollicitudi- « nibus teritur; de animo perfecto dicitur: *Lilium « est inter spinas*, hoc namque inter curas tranquille « degentem indicat; lilium enim et in Evangelio « quietum animam, ac minime sollicitum signifi- « cat. » Juxta Christi doctrinam, sollicitudines quidem spinæ sunt, sed anima perfecta in medio nihilominus harum degere novit sine puncturæ aut læsionis discrimine; vivere namque multos novimus in mediis auri argenteique thesauris, verumtamen ita innoxie, ut nullum eis affectum impendant, nec internam animi quietem ulatens propterea interturbari sinant.

*Agri.*

**5.** — Id est, juxta Lucæ Brugenensis traditionem: « Agrestia, quæ passim in agris occurrunt, hæc « enim omnem decorem suum acceptum referunt « uni Deo; hortensia videri possunt aliquid humanæ « curæ debere. » Videtur Christus hoc loquendi modo, differentiam insinuare voluisse providentiæ divinæ, diversimode prospicientis iis, qui sine curis degunt in soliditudinibus, et istis, qui intra civitatem viventes, abundantiam honorum temporalium sibi sollicitè anxieque procurant. Quemadmodum enim

lilia silvestria diuturniorem vigorem et colorem conservant, quam domestica, quæ liberalioris figuræ et delicatioris sunt complexionis, ita pariter experientia teste, Deus longam eorum disponit et conservat vitam, qui ipsius se providentia totaliter commiserunt, quales sunt religiosi et servi alii fideles, qui se a turbis et curis sequestrarunt; e contra autem, qui terrenis bonis accumulandis anxie invigilant, vitam ut plurimum sortiuntur brevem et afflictam; id quod Psalmista nobis non obscure expressit, inquit: *Non est inopia timentibus eum, divites egerunt et esuriunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Psal. xxxiii, 10.

*Quomodo crescunt, non laborant neque nent.*

6. — « Sine sollicitudine eorum, » ait Lyranus, « et secundum quantitatem suam a Deo vestiuntur; propter quod dicit: *Non laborant*, scilicet ad ornandum se, *neque nent*, id est, filant ad faciendum sibi vestimentum, et tamen optime vestiuntur. » In cuius probationem exemplum adducitur Salomonis.

7. — Auctor operis Imperfecti scribit: « Dicendo: *Non laborant*, viros confortat; dicendo autem: *Neque nent*, mulieres, quoniam virorum vita seminatioibus, mulierum autem lanificio sustentatur. »

#### Additiones.

a. — *Considerate lilia agri.* Lilia maximis encomiis hic sublimantur a Christo, ita ut eorum comparatione omnis Salomonis apparatus vilescet. Sed ex quo tantam gloriam poterunt lilia comparare? S. Paschasius, *lib. 1 in Psal. xlv*, rationem pulchram adducit: « Virginitas, » inquit, « quæ Angelis comparatur, per lilia quam sæpe in sacris Litteris præfiguratur. Et ideo dixerit Dominus quod nec Salomon, in omni gloria sua, cooperatus sit sicut unum ex illis; in quibus nimirum floribus renitentibus, floris veri incorruptio et pulchritudo, per charitatem, integrè residet castitas. Propter quod velim vos considerare virginitatem quam præclara sit, quæ tantis et talibus attollitur encomiis. » In illis virginitatis candor denotatur, cuius splendor ita nitet ac fulget, ut omnis aliorum ornatus vilescat, vilis ac minor appareat etiam qualibet virginitatis umbra. Dilectus ille, qui delicias, lautumque et delicatum pastum suum inter lilia reperit, de anima virginali et casta, liliis instar florente dicit, *Cant.*, ii, 2: *Sicut liliam inter spinas, sic amica mea inter filias.* S. Bonaventura de castitate disserens, ait: « Castitas est florens sicut liliam, nam dicitur in Cantici: *Sicut liliam inter spinas, etc.* » Petrus Blessensis porro hanc inter continentiam et virginitatem indicat differentiam: « Comparat, » inquit, « virginitatem lilio, cuius candor natus est manens; continentiam vero

« comparat bysso; byssus enim de terra viridis et graminei coloris oritur, sed eruta siccatur, tunditur, coquitur, torquetur, et magno, longoque exercitio ad candidum colorem perducitur. » Rupertus Abbas Tuitiensis super illa verba Apocalypses: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimentum suum*, ita glossat: « Id est, incorrupta servaverunt corpora sua. *Ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Mecum inquit, scilicet cum Filio Virginis; mecum, cuius caro virginea continentia dedicavit exemplum, qui sum virgineus flos, virginitatis liliam, corona virginum. » *Mecum ambulabant in albis*; id est, in corporibus immaculatis. Philo Carpathius verba illa: *Qui pascitur inter lilia*, ita exponit: « Hoc est, qui versatur inter castos, horum enim odore delectatur Dominus, cum his conversatur assidue. »

b. — Ait divinus Sponsus: *Ego flos campi, et liliam convallium.* *Cant.*, ii, 1. Hic illud maxime est ponderandum, quod cum summa charitate ac amore se diligant sponsus et sponsa, cur ergo ipse Rex se appellat florem et liliam, dilectam vero suam liliam tantum dicit? Auctor est S. Augustinus, *lib. de salutaribus docum.*, quod Christus dicitur flos campi ob decorem sanctitatis et donorum, liliam vero ob virginitatem; ex quo optime inferri potest, sanctitatem et virginitatem sibi quodammodo dispensari, nec immerito. Virginitas enim in multis sacre Scripturæ locis, necnon a sanctis Patribus frequenter sanctitatis titulo condecoratur. Item divinus Sponsus qui Christus est, se et castam dilectam sibi animam liliam vocat, ut eam sibi persimilem ostendat. Virginitas enim Christo desponsatur, ut proinde Apostolus, *II Cor.*, xi, 2, de animabus puris et immaculatis dicere non dubitet: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et quidem tametsi prima facie sponsalium et nuptiarum, cum virginitate videantur incompatibiles, attamen in parabola de decem virginibus expresse dicitur: *Erirent obviam sponso; intraverunt cum eo ad nuptias; et tamen omnes ab ipsomet Christo virginum titulo condecorantur.* Neque id cupiam mirum videri debet, quia in hisce nuptiis que inter animam virginitate puram et Christum celebrantur, ipsamet Dei Filius Sponsus est, et ideo per hasce nuptias virginitas non amittitur sed augetur, ut proinde S. Agnes, Virgo et Martyr, merito gloriata fuerit dicens: « Amo Christum, in cuius thalamum introibo, cuius Mater Virgo est, cuius Pater feminam nescit; quem cum amavero casta sum, et cum teligero munda sum, cum accipero virgo sum. » Ille enim Sponsus ab ipsomet Spiritu Sancto appellatur *Candor lucis æternæ*, a cuius candore omnis alia derivatur puritas et honestas, adeo ut illæ duntaxat animæ verè Virgines esse censentur, quæ huic Sponso vinculo sunt connubiali ad-

stricta, juxta illud Psalmi: *Adducentur regi virginæ.* Unde S. Bernardus ait: « Virgines dico illas quæ ante Christo federatæ, quam fedatæ mundi complexibus, ipsi firmiter conjunctæ perseverant, cui se tanto felicis, quanto maturis devoverunt. »

#### VERSUS 29.

*Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua, cooperatus est sicut unum ex istis.*

1. — Variant Auctores in assignanda ratione, quare Christus Salomonis potius quam cuiuscunque alterius exemplum adduxerit; Jansenius existimat id ideo factum, quia nimirum Salomon apud Indeos istos, cum quibus Christus loquebatur, fuerat gloriosissimus inter Reges et celeberrimus in ore omnium: « Omnis pulchritudinis amator et studiosissimus inquisitor, ut attestatur de seipso in *Ecclesiaste.* » Lyranus dicit, quod licet potentissimus fuerit, tamen in omni hac sua majestate ad vestitum adeo eximium et nobilem, qualis liliorum est, peringere nequirit: « Quia licet ars imitetur naturam, tamen opera artis non assequuntur perfectionem operum nature. » Nullus unquam tinctorum æqualem potuit cum natura exprimere viriditatem; optime Lucas Brugensis inquit: « Re-rum naturam, quæ a Dei providentia est, homo nun cura et industria imitari potest, assequi non potest. »

2. — Admirabundus interrogat Paulus de Palatio, quomodo tantus Rex, tot gemmarum coruscus varietate, ne uni quidem agresti lilio comparari potuerit. « Quid? non erat pulchrior Salomon, gemmis fulgens et auro, quam vile liliam agri? » Regina Saba videns vestes Salomonis et servorum ejus, pro admiratione stupet, nec in ea est spiritus; nam amisit spiritum, lilia considerans; jam si Salomon sapientissimus erat, cur non potius ex liliis vestem contexit, quam ex gemmis et auro? » Quis est, qui non pulchrius aurum dicit quam liliam? Respondet ipsamet Auctor et difficultatem cum S. Ambrosio solvit, dicente, avarorum oculos potius in aurum quam in solem ferri, non quasi aurum sole pulchrius esset, sed quia ipsi aurum magis quam solem appetunt: « Si tibi oculi essent sani, in lilio spectares Dei artificis manum, in veste aurea manum hominis. » At alia ejus responsio clarior, dum inquit: « Oculos fecit nobis cupiditas, quibus, non quæ vere sunt pulchra, credamus, sed quæ apparent. » Communis ille in terris agendi modus, ut juxta mundi opinionem et consuetudinem, jocus prævaleat rebus seriis et deceptio veritati.

3. — Bene considerat Jansenius hanc factam de Salomonis gloria et lilio comparationem, non deservire tantummodo ad reprimendam in nobis superfluum de vestitu sollicitudinem: « Sed etiam

« ad comprimendam hominum in vestitus elegantiam superbiam. Quid in ea enim superbit homo, cum a vilissimis floribus longe in decore superetur, a quibus etiam gloriosissimus Salomon superatus est? » Eandem multo ante tempore considerationem instituit Chrysostomus, *Hom. xxii*, nos salutariter admonens, ut vestium luxum et pompam pro nihilo reputemus: « Quandoquidem pulchritudo florum et decor varius herbarum, ipsi sumque omnino fenum amici tali invenitur pretiosius; cur igitur ex his in superbiam mentis erigeris, in quibus perfacile de te obliet etiam herba victoriam? » Lucas Brugensis flori huic potentiam opponens Salomonis, « vide, » inquit, « ut omnem mundi gloriam unico agri flori post se posuerit. »

#### VERSUS 30.

*Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in cibarium mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modice fidei?*

*Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in cibarium mittitur, etc.*

1. — S. Thomas, in *Matth.*, dicit, Salvatorem nostrum hisce verbis herbam considerare, in fenum degenerantem, eumque hoc modo arguere: « Si omnis cura et industria imitari potest, assequi non potest res sumus quoad dignitatem substantiæ, quia nos super ista sumus; itaque ad durationem, quia nos æterni quoad animam, illud vero hodie est, et cras in cibarium mittitur; item quoad finem, quia homo est propter beatitudinem, fenum vero propter usum hominum: Qui producit in montibus fenum et herbam servituti hominum. »

2. — Auctor Imperfecti Christum argumentum a minori formasse dicit: « Si floribus sic occurrit, qui sic nati sunt, ut tantummodo videantur et perant, homines vero negliget, quos sic creavit, ut non pro tempore videantur, sed ut in perpetuum sint? »

3. — Albertus Magnus super hæc verba, tres considerationes adducit: « Ostendit, » inquit, « curam Patris ad fenum parvam ex tribus; est natura, cum dicit: *Si enim fenum, quod parvi est momenti*; secundo, ex loco, cum dicit: *Agri*, cui nulla custodia adhibetur, sed deperendum omnibus exponitur; tertio, ex utilitate, quia dicit: *Quod hodie est, et cras in cibarium mittitur.* » Unde sensus verborum Christi est: Si Creator fenum agri, quod alias adeo contemptibile est vestit, quanto magis curam habebit de nobis, qui ad imaginem et similitudinem ejus creati sumus; quorum custodiæ Angelicos spiritus destinavit, quos denique ad vitam ordinavit æternam.

4. — Porro quænam illa sint lilia et qui feni nomine intelligantur, Paulus de Palatio in sensu

« nantem. » Paulus de Palatio ait : « Qui nihil « habent in caelo, nihil mirum, si toti querant « terram. »

2. — Est et alia ratio, cur Gentiles adeo sint anxii in consecrandis bonis terrenis, quia scilicet deos habent surdos et mutos, *Psal. cxiii, 6: Aures habent et non audiunt, os habent et non loquuntur*; insensibilia sunt simulacra, ligna vel marmora, oculos habent, sed non vident, et ideo illis, qui in seipsis confidunt, providere aut prospicere non possunt; ac proinde opus est, ut qui illos adorant, propria industria sibi consulant, absque eo, quod de ipsorum subsidio ferendo confidere possint. Deo autem nostro proprium est, esse beneficium: *Qui dat omnibus affluenter, et ideo merito arbori, fructibusque onusta, in medio silvarum positae assimilatur, Gen., ii, 3: Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios*. Imaginemini vobis in horrido quodam deserto vos constitutos esse, meris spinis et verpibus obsito, quarum haec vos pungat et vulneret, illa vestes discepat et lacerat, unica vero arbor adsit, quae dulcissimos suos vobis fructus offerat; enimvero evidens ratio, per quam dii gentium se deos non esse clare insinabant, haec erat, quia non solum non dabant, sed avidi et cupidii erant recipiendorum munerum et oblationum; quot farinae mensuras, quot carnum moles idolum Beli apud Danielem quotidie requirebat? idolum Molech continuo vociferabatur: *Afferte, afferte*; non sic Deus noster qui, ut nos benedictionibus suis locupletet, manus suas continuo apertas habet. Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. IV in Matth.*, ait: « Quid est aliud hoc dicere, « nisi ac si dicatur: Eritis enim gentibus similes, « quorum Deus venter est, si sollicitudini huic, quam « interdicto, postponitis Deum. »

3. — Valde considerabilis est dictio illa: *Hae omnia*; idololatrarum enim beatitudinem suam in hisce terrenis bonis collocabant, *Psal. cxliii, 13: Promptuarii eorum plena, eructantia ex hoc in illud, boves eorum crassa; non est ruina maeroris, neque clamor in plateis eorum; beatum dixerunt populum, cui haec sunt*.

*Scit enim.*

4. — Rupertus Abbas inquit, non sufficit, quod sciat, opus est insuper ut velit: *Scit, inquam, et bene scit, quid enim ille nescit?* Dic mihi, si nosti, quemnam est patrem inter differentia et Principem; haec nimirum, quia hic communitatis curam habet, ut scilicet penes populum annonae sit abundantia, ut non desint lana, linum aut sericum pro vestibus, pro domiciliis aedes congruae, hospitalia pro recipiendis infirmis, item providet, quidquid necessum est pro vita civili et politica; particularium vero personarum curam nullam habet, qualem pater gerit erga filium, uxorem, servum et alios

familiae suae domesticos, et talis est sollicitudo et providentia Dei nostri. Unde S. Augustinus, *lib. III conf.*, xi, ait: « O tu bone omnipotens Deus, qui sic « curas unumquemque nostrum, tanquam solum « cures, et sic omnes tanquam singulos; » idque Deo falliculum est, quia distinctam habet omnium necessitatum nostrarum notitiam: *Scit, quia his omnibus indigetis; alta u longe cognoscit*. Eandem quoque considerationem, quod scilicet Deus fixis nos oculis semper aspiciat, idem Augustinus alibi docet, *Solit.*, xiv, dum ait: « In toto tempore, « totum me simul semperque consideras, ac si « nihil aliud considerare habeas, sic super custo- « diam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et « mihi soli intendere velis. »

5. — Jansenius mysticum hunc loquendi modum ita ponderat: « Quae certe sententia magnam « habent energiam, nam ad hoc ut quisquam « posita sollicitudine, totum se aliquis providentiae « committat, nihil aliud requiritur, quam ut certus « sit de illius providentia ac potestate, et scire « illum suas necessitates; » omnes autem hae circumstantiae in Deo nostro concurrunt, quia de amore Dei in nos dubitare nobis non licet, quia pater est, nec potentia ejus in dubium revocari potest; denique de ea, quam habet necessitatem nostrarum notitiam, nulla est controversia: *Scit enim, quia his omnibus indigetis*.

*Pater vester.*

6. — Ecce tibi, qualiter Christus eternum genitorem suum nobis in patrem assignet, non vocat illum patrem ovium, nec plantarum, nec aliarum creaturarum, sed solum nostrum, et tamen licet ovium pater non sit, illas tamen quotidie nutrit; longe igitur majorem curam de nobis habebit, quorum se patrem esse declarat, maxime cum pater a pascendo dicatur. Chrysostomus, *Hom. xxiii in Matth.*, ait: « Non dixit, novit Deus, sed *Pater vester*; ut eos profecto ad spem certiore vocaret; ret; si ergo est pater vester, et pater talis, « nequaquam patietur despici a se filios, mala « ultima sustinentis, quando ne homines quidem « patres hoc aliquando patiuntur. » Jansenius dicit: « Quis autem invenitur pater, qui non subvertitur « est filiis, cum eorum necessitates agnoscit, et in « ipsius potestate est, subvenire, quod si talis omnino reperiri posset apud homines, non convenit « tale quid suspicari de Patre celesti, qui, quod « celestis sit, longe vincit bonitatem cujusvis « patris terreni. »

7. — Speciale nobis fidelibus in lege Evangelica factum est privilegium, quod nempe in filios a Deo adoptati sumus; unde Salvator noster in principio orationis dominicae nos illum patrem appellare docuit; et vere pater est, imo ut Tertullianus ait: « Tam pater nemo, tam pius nemo. » S. Bonaven-

tura, *Serm. ii in hac Dom.*, dicit: « Adhuc vivit, « qui Judaeos quadraginta annis in deserto, nec « serentes nec metentes pavit, et eisdem quadra- « ginta annis non sunt alitrita vestimenta eorum; « quare ergo timent Christiani, quando ita libera- « liter procurantur Judei; » certe illis conditione inferiores esse non possumus, siquidem, ut idem Seraphicus Doctor ait: « Qui tibi dat seipsum, « quomodo non daret tibi cibum? » Cura haec palerna circa nos, ad eum usque apicem ascendit, ut sacratissimum Corpus suum nobis in alimentum, et Sanguinem suum in potum liberaliter porrigat.

8. — Quis nescit, justam quemcumque filium pretensionem habere, exigendi a patre alimenta vite suae? ideo igitur Christus, dum Patrem suum, nostrum esse affirmat, nos omnes docere vult: Petite ab eo audacter panem vestrum, dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Non dixit ut supplicaremus, sed ut imperativo modo quasi extorqueremus: *Panem nostrum da nobis*; non hortatur nos Christus ut panem ejus, sed nostrum quaeramus, quia ex nunc filii sumus, et consequenter justam habemus a Patre, quae nostra sunt, sive nobis debita, pretensionem exigendi. Bene observat Euthymius, Christum dixisse: « *Scit enim Pater vester*; non dixit: scit Deus, sed: *scit a Pater vester*, quo maximam habeant fiduciam; « ex quo enim pater est, et talis pater, filios despici- « cere non poterit, et pati, ut rerum necessarium « indigentia deficiant, cum neque terreni patres id « sustineant, sed his omnibus scit indigere, dabit « utique. » Propositio est Christi fortissima et indissolubilis ad extorquendam summam a nobis in Deum confidentiam, tanquam ad patrem in omnibus necessitatibus nostris: « Quam tibi existi- « mas esse causam sollicitudinis, magis est causa « securitatis, quia enim haec necessaria sunt, ideo « magis fidere oportet; quis enim pater etiam « necessaria filiis denegabit? » Bene Chrysologus, *Serm. LXIII*, admonet: « Superfluum est o homo, « iste, qui te exagitat timor; nam Creatoris ad « prandium tota concurrunt et advolat creatura: » nequaquam de fidelissimo conviva dilidamus: « Cum se Patrem nostrum dicit, nostri sibi piam « curam comprobant non desse. »

*Quia his omnibus indigetis.*

9. — Novit celestis Pater, inquit Lucas Brugensis; scit ille: « Quid, quantum, quamdiu, hisce « omnibus, cibo, potu et similibus. »

10. — Paulus de Palatio verbum *indigetis*, discutens, Christum in eo nos docere voluisse scribit, quod postmodo Apostolus praedicaturus, *I Tim.*, vi, 8, nimirum: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*; igitur viri pii his solis indigent, « vere Deus Pater est eorum, qui vult et vestitu « contenti sunt, reliqua contentmentes. »

**Additio.**

a. — *Hae enim gentes inquirunt*. Cur Dominus hic gentes in exemplum adducat, resolvit Abulensis, *quaest. cxxxiv*: « Quia Gentiles cum non « haberent cognitionem de futuro saeculo, nihil « sperabant; sed plurimi eorum credebant, post « hanc vitam nihil esse et consequenter nullum « bonum manere homini, nisi comedere et bibere, « et frui delectationibus in hac vita. Et ideo Gen- « tiles tam solliciti erant de cibo, potu ac vestitu. » *Hae gentes inquirunt*. At fideles et Christi discipuli, qui non tantum Deum, sed etiam futurum saeculum agnoscunt expectantes beatam spem et gloriam magni Dei, maxime debent a superflua cura et amore terrenorum abstinere. Consideratio enim et spes honorum caelestium vanitatem nobis indicit bonorum terrenorum. Nabuchodonosor rex, qui se contra supremam Dei Altissimi majestatem erigere non erubuit et ut communem cum bestiis vitam ageret condemnatus fuit, quandam resipuit, soque emendare cepit? Scriptura sacra idipsum clare indicat, dum ait: *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi*. Cum primum ad caelum oculos suos levavit, mo monarchiae suae vanitatem animadvertere cepit: *Viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem*. Antea, priusquam suos in caelum oculos extulisset, adeo superbus et arrogans fuerat, ut neminem praeter se Coeli terraeque dominum esse crederet; unde S. Hieronymus ait: « Nisi oculos levasset ad caelum, sensum primum non recepisset, » imo nisi cor suum ad Deum erexisset, veluti bestia quaedam semper romanisset, ejusque superbia majoribus in dies aucta fuisset incrementis. Praecipuum multarum animarum, quae inferno in praedam cedunt, error hic est, quod se ad invisibilia minime reflectentes, a praesentium bonorum amabiliitate sese seduci permittant; nam ut S. Ambrosius, *lib. VII in Luc.*, ait: « Allicti homines magis dulces peccati, quod ad « praesens influit, et impinguit videtur affectum, « quam triste virtutis, quae fidei spem veluti quodam cortice amori laboris involvit. »

**VERSUS 33.**

*Querite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjuvantur vobis.*

*Querite.*

1. — « Hic aperte ostendit, ista non esse « petenda, » ait Glossa, « tanquam bona nostra, « est necessaria; regnum autem Dei petendum « est, et in eo finis noster est ponendus. »

2. — In terris deorsum ille agendi modus est,



EX L  
HEMETHERI V  
Episcopi

moralis his verbis declarat: « Apertum est, lilia campi pios significare, sicut contra fœnum signifi-  
« fœcat impios; Sponsa enim dicitur liliis et omnis  
« caro fœnum; » unde idem Auctor dicit, non fuisse adeo conveniens Christi argumentum; solum dicendo, quod liliis, id est, servis suis de vestimentis prospiciat, magnam vero argumento suo efficaciam addidisse, dicendo quod etiam fœnum vestiatur, id est, providentiam suam etiam ad impios extendat; siquidem æternæ veritatis verbum est, quod solem suum oriri facit super bonos et malos, *pluit super justos et injustos, Matth.*, v, 45. Quod si igitur impios benefacit, quanto major cura ei erit, ne servos suos derelinquat.

*Quanto magis vos.*

5. — « Pronomen vos, » inquit Jansenius, « hic est honoris demonstrativum, q. d. longe magis vos vestiet, qui estis pretiosa ejus possessio propter quos totum mundum et omnia quæ in eo sunt, condidit, quos non creavit, ut in brevi tantum tempore, subsisteretis more liliorum, sed ut in æternum cum ipso vivatis. »

6. — Glossa ex his verbis efficacem quamdam rationem tangit contra eos, quoad rerum necessarium provisionem, Deo diffidunt, dicit enim: « Quod si nec de his fidentes sumus, quomodo invisibilia sperabimus? Permodica fides est, quæ nec de minimis certa est. »

*Modice fidei.*

7. — « Hoc est, » inquit Albertus Magnus, « modica fiducia qui parva de Patre cœlesti præsumit; » qui idem objectioni, quæ hic moveri posset, nimirum multos nonnumquam mortuos fame omnique victu et vestitu necessario destitutos, licet in gratia et amicitia Dei consistent; respondet: « Quando istanter ea, quæ sunt militiæ Christianæ, exeremus, etsi tunc desunt necessaria, dispensatio Patris cœlestis est, vel ad probandum nostram patientiam, vel ad purganda delicta. »

*VERSUS 31.*

*Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

1. — Ex phrasi loquendi, quia Christus hic utitur, clare cognoscitur, quamvis hic sollicitudo condemnatur. Unde Jansenius ait: « Satis significat, quam sollicitudinem et curam prohibeat, timidam sollicitet et anxiam, quæ hujusmodi cogitationibus, seu continuis quibusdam æstibus hominem exagitat. »

2. — S. Thomas quatuor sollicitudinum genera, de bonis terrenis acquirendis nobis evitanda esse docet: « Primo, ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter necessaria victus

« et vestitus; secundo, ut non sollicitemur de temporalibus, cum desperatione divini auxilii; tertio, ne sit sollicitudo presumptuosa, ut scilicet homo confidat, se necessaria vite per suam sollicitudinem posse procurare absque divino auxilio; quarto, per hoc, quod sollicitudinis tempus præoccupat, quia scilicet de hoc sollicitus est nunc, quod non pertinet ad curam presentis temporis, sed futuri; unde dicit: *Nolite solliciti esse in crastinum.* »

3. — Ex illis verbis: *Quid manducabimus, aut quid bibemus?* anxietas deducitur, qua nobis pro futuro tempore providere studemus, cui ille opponitur *Matthæi*, vi, 34, textus: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* S. Thomas in quodam *Summae* suæ articulo disputat, *an quis debeat esse sollicitus futurorum?* ubi quidem prima facie videri poterat, ipsum affirmative responderi debuisse, siquidem Sapiens nos monet, *Prov.*, vi, 6, dicens: *Vade ad formicam, et considera vias ejus.* Ad hæc, sollicitudinem in providendo et prospiciendo futuris, pars est prudentiæ; Christus ipse in collegio Apostolico eleemosynarum custodiam Jude in manibus concessit, *Joh.*, xii, 6; et tamen S. Thomas hæc statuit conclusionem: « Debet quis temporibus debitis de futuris sollicitari, non autem præter tempora debita, » juxta illud, *Eccle.*, viii, 6: *Omni negotio temporis est opportunitas;* quod non solum, » inquit S. Thomas, « in exterioribus operibus, sed in exteriori etiam sollicitudine locum habet; » quodlibet enim tempus propriam sibi sollicitudinem vendicat; in æstate de messe, in autumno de vindemia curatur; quod si quis eo tempore, quo ex messe allatum frumentum in granarium deportatur, de vindemia anxius esset, « superflue præoccuparet futuri temporis sollicitudinem, » quæ vitiosa est, et in Evangelio reprehenditur. Cæterum, quod servi Dei futuras necessitates prudenter providentes, ipsidem consulant, non condemnatur: « Non ergo Dominus improbat, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista, Deo non militet; » idem Angelicus Doctor eandem sollicitudinem ex aliis quoque capitibus reprehensibilem esse dicit dum ait: « Esset inordinata futurorum providentia vel sollicitudo, si quis temporalia, in quibus datur præteritum et futurum, tanquam fines quæreret; » vel si superflua quæreret, ultra presentis vite necessitatem; vel si tempus sollicitudinis præoccuparet. »

4. — « Comedere et bibere, » inquit Theophylactus, « non prohibet; dicere autem quid comedamus, prohibet, sicut dicunt divites vesper: *quid comedemus nunc?* Vides, quod delicias et luxus prohibet. »

5. — Cyprianus ad illa Dominicæ orationis verba se reflectit, quibus Dei Filius nos æternum Patrem

pro regno suo consequendo rogare docet: *Adveniat regnum tuum*, post hæc vero propositionem, statim subjungere præcipit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; at vero inquires: cur hæc petitionem tantam limitatione præscribit, ut scilicet victum corporalem quotidianum, de die in diem postulemus, atque insuper addit: *Hodie?* Respondet igitur: « Discipulus Christi diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere; » et ratio est, quia qui nos, quoad consecutionem regni cœlestis avidos ostendimus in precedenti petitione, sustentationem hujus vite presentis, quæ a cœlestis regni possessione nos impedit, non nisi de hora in horam petere debemus: « Contrarius sibi fit et repugnans, ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus, velociter regnum Dei advenire. »

6. — Ex alia quoque ratione cavendum est, ne inquietemur, petendo a Deo per diffidentiam necessaria pro tempore futuro; quia ut D. Chrysostomus super illa verba, *panem nostrum quotidianum*, etc., dicit, « ut nequaquam illos ulterioris futuri cura contereret, ejus enim diei spatium visurum te esse necesse, quam ob causam, illius sollicitudine torquearis? » S. Gregorius Nyssenus dicit: « Pulchra est adjectio dictionis *hodie*, ut discas per ea, quæ dicis, quod diaria ac quotidiana sit vita hominis. »

*Additio.*

a. — *Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, etc.* Noli homo, inquieta sollicitus avaritia, opes providendo gemere; noli labore caduca præparando, quia prandii tui semper et ubique, Deus præparator assistit. Quis rex devotis militibus suis debitam non procurat annonam? Quis dominus fidelibus servis suis justa cibaria non ministrat? Quis pater non dat panem filiis? Si ergo nobis Deus et Rex, et Dominus, et Pater est, quid negabit? ait S. Petrus Chrysologus, *Serm.* cxxiii, sic pergens: « Stipendiis suis militans derogat miles regi, sumptibus suis vivens dominum servus accusat, pro se sollicitus filius culpam superstitium patrem. Noli ergo, o homo, explodere Deum pro te taliter cogitando, qui et justitia regnantis, et dominantis studio, et generantis affectu, in se totam tui recepit sollicitudinem, « refudit et curam dicendo: *Nolite solliciti esse.* » Verum ut prudenter observat S. Cyprianus, *de Orat. Dom.* viii, de his hæc gerit sollicitudinem et providentiam, qui Deum toto corde quærant, nec deserunt, dicens: « Quærentibus regnum et justitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habentibus Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. » Dum vero homo de temporalibus nimirum sollicitus est, vere Deo deest et diffidentia peccatum incurrit, ut ex prædictis S. Chry-

sologi similitudinibus, de milite et servo colligere est. Unde mirum non est quod similibus de Dei providentia diffidentibus summa inopia et fames obtingat; fames enim, sterilitas et annonæ caritas peccatorum effectus sunt. Quibus enim uberem messem subministravit Deus ei, qui de ejus providentia gentilibus hesitat, atque peccatis Deum offendit. Idem ille Deus, qui postquam incarnatus fuit, de semetipso dixit: *Pater meus agricola est*, protoparentes nostros, legem suam temere transgressos, terræ sterilitate punire voluit; siquidem post peccatum commissum homo prævaricator audire debuit: *Maledicta terra, spinis et tribulis germinabit tibi.* Sic quoque Cain post commissum scelus fratricidii, eadem fuit poena mulctatus, dicente Deo: *Maledictus eris super terram; cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Id est, ut Cajetanus exponit: « Non respondebit secundum vim suam, « fructificando tibi colenti illam; » quæ non parva poena est agricolæ.

*VERSUS 32.*

*Hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester, quia hic omnibus indigetis.*

*Hæc enim omnia gentes inquirunt.*

1. — Ad depellendam a nobis hæc anxiam curam, efficacis sane motivum est, quod hic adducit, dum illam ad gentes pertinere ait. Glossa dicit: « Quid ergo amplius habet a gentili, cujus infidelitas animum sollicitat, et curis vite hujus fatigat? Gentes hoc faciunt, quibus de futuris cura non est; sed filiorum est querere regnum. » Dionysius Carthusianus hujus rationem reddit, dum ait: « Cum sollicitudine animi Gentiles inquirunt, qui divinam providentiam vel negant, vel non attendunt, præsertim quoad hæc inferiora, » dicens illud *Psalmi* lxxii, 12: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso;* atque ideo omnem curam suam in hujus presentis vite felicitatibus procurandis positam habent. « Cum meliora ac veriora bona ignorent, » inquit Jansenius, « ista potissimum inquirunt, a quorum moribus dissimillimos esse convenit eos, qui in filios sunt adoptati, Dei cognitione jam donati, et ad cœlestia bona vocati. » Gentes, » inquit Albertus Magnus, « quæ ignorat Deum, » idem præter hæc gentium cœcitate attendunt et ignorantiam, aliam insuper ipsorum detegit stultitiam: « Putant hominem non ad aliud creatum, nisi ut sua industria hic ad tempus vivat. » Auctor Imperfecti, *Hom.* xvi, alium ipsorum errorem revelat, dicens: « In rebus humanis fortunam esse credunt, non providentiam, neque judicio Dei vitas suas gubernari æstimant, sed incerto duci « eventu, ideo merito timent, merito solliciti sunt et desperant; quasi qui neminem habent guber-

ut, qui ad regna aspirant, læsæ majestatis rei condemnentur ad mortem; sed contrarius mos obtinuit nos inter et Deum, omnis enim et solus ille inimicus Dei esse denuntiatur, poenæque æterna dignus, qui non ambit nec sequitur regnum ejus: hoc enim supremus artifex pro nobis fabricavit: *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Idem quoque regnum quotidie a Patre suo petere nos docuit: est nostrum velut debita nobis hæreditas: *Adveniat regnum tuum.* Similiter quia semen gloriæ et beatitudinis est divina gratia, et hæc regnum illud animabus nostris infudit: *Regnum Dei intra vos est:* hinc est, quod nos regnum illud non cum formidine aut timide, sed potius audacter quasi modo imperativo petemus: *Adveniat regnum tuum.* Psalmista, *Psal. xvi, 4,* ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vite mee.* S. Christi Præcursor in primo suo sermone, de hoc regno thema suum desumpsit: *Appropinquavit regnum celorum;* quo etiam themate Dominus in prima sua concione usus fuit, imo quocumque ibat, primo omnium loco, hoc regnum nuntiabat, *Matth., iv, 23: Circuibat Jesus totam Galilæam prædicans et docens Evangelium regni;* prima enim vice, quam Apostolos docuit, ut *Matth., v, 2 et 3,* legitur: *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum,* et sic deinceps octo beatitudines prosecutus fuit; post resurrectionem suam, quadraginta diebus in terra commoratus, nihil adeo cordi habuit, quam ut suos in hujus regni desiderium accenderet, *Act. Ap., 1, 3: Per dies xi. apparens eis et loquens de regno Dei.*

**3.** — Divus Chrysostomus, *Hom. II in Genes.,* optime considerat, Creatorem in hac mundi machina fabricandâ, modum observasse contrarium illi, quo alii architecti tui solent: « Deum præter humanum morem suum perficiens ædificium « prius cælum extendit, postea et terram subternit; prius calmen, postea fundamentum; » id quod Spiritus Sanctus, qui Spiritus est veritatis, in primis Sacræ Scripture verbis testatur inquis: *In principio creavit Deus cælum et terram,* nec incongrue, nam sicut in quavis fabrica erigenda, pro fine non fundamenta habemus, sed tectum et interiora domus penetrantia, quæ nos ab aeris inclementia tument et defendunt, ita quoque Deus, dum hanc totius universi fabricam erigeret, oculos nostros non in terram, quam velut exilii nostri locum produxit, dirigi voluit, sed in cælum, quod in perpetuam mansionem nostram creavit. Cælum empyreum inter omnia creata primum opus fuit, quod ab Omnipotentis dextra manavit, ut inde cognosceremus, hoc habitationem nostram esse debere, non terram; imo ad hoc, ut amorem et affectum nostrum ab hac terra averteret, Spiritus

Sanctus immediate prædictis verbis subjunxit: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quare putas, incarnatam Sapientiam nos docuisse in oratione quotidiana, prius regnum celeste petere: *Adveniat regnum tuum,* postea vero panem, id est, bona temporalia sollicitate: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* certe non ob aliam causam, quam ut nobis indicaret, cælum a nobis præ quavis alia re, omni cum cura prosequendum et quaerendum esse, et postea illa, quæ terrena sunt.

**4.** — Paulus de Palatio super hæc verba ita scribit: « Nihil dici potuit excelcius, quam regnum « Dei, ut nescias, quid mirere prius, aut Dei « largitatem, qui in regnum suum, hominem « adsciverit; aut hominis stuporem, qui ad tantam « promissionem languet, nihilque movetur. » Elementum hæc est misera hominum conditio, quod, cum de terrenis regnis acquirendis agitur, totus mundus ab iis susque deque verlatur, imo pro uno terra palmo assequendo sepe celo renuntiare non dubitet. Creator, licet in campo Damasceno corpus e terra plasmaverit, attamen dum illud spiritu oris sui animavit, animam ad gloriam consequendam creatam, ei infundendo, corpus illud cælum versus elevatum esse voluit, modo nimirum aliis animalibus contrario, quem faciem suam terram versus directam habent. Audite obsecro, quam graviter idipsum S. Bernardus hominibus exprobrat, *Serm. xxv in Cant.:* « Quid indecentius, quam curvam « recto corpore tenere animum? perversa res est et « fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos « habere sursum, cælum libere suspicere, cælumque luminariibus oblectare aspectus, spirituum « lem vero celestemque creaturam, suos e contra « oculos, id est, internos sensus atque affectus « trahere in terram deorsum. »

#### Primum.

**5.** — Certum quidem est, quod, ex quo de terra plasmati sumus, atque in hoc exilio corpus hoc mortale per necessarium victum et amictum nutrire et legere debemus, bonis hisce temporalibus indigemus; attamen error et inordinatio nostra in eo consistit, quod prius bona terrena et postea, forsitan etiam nec postea quidem, celestia queramus. S. Augustinus super illa verba *Psal. iv, 6: Sperate in Domino; multi dicunt, quis ostendit nobis bona,* dicit: « Ea tantum diligenda sunt bona, quæ ad interiorum hominem pertinent, cæteris autem ad « necessitatem tantum utendum, non ad gaudium « perfruendum est. » Terram Deus nostris substravit pedibus, ut conculcaremus, magisque eam oderimus; in ejus centro infernum collocare voluit, cum sit elementum omnium infimum; que igitur est hæc inordinatio nostra, quod illam celo preferamus?

**6.** — B. Humbertus ait: « Nature ordinem hic « pervertit qui terram super omnia diligit, quam « inter elementa Creator rerum, infimam ordinavit. » Glossa inquit: « Cum dicit *primum,* « significat hoc posterius non tempore sed dignitate; illud petendum est, hoc propter illud « necessarium; ergo *primum* quaerite *regnum Dei,* « id est, præponite omnibus cæteris rebus. »

**7.** — Hugo Cardinalis tria honorum genera distinguit: « Eternum, spirituale, temporale; primum est maximum bonum, secundum minus, tertium minimum; dicit ergo: *Quærite primum,* « id est, primo vel principaliter primum, quod est « inter alia primum; *Regnum Dei,* hoc unum cum « sollicitudine est quaerendum; *quærite,* id est, ad « quaerendum attendite. » Idipsum diu ante S. Anselmum super eadem verba scripserat, dum ait: « De temporalibus non debetis esse solliciti, sed de « celestibus et hoc est, *quærite regnum Dei* sicut « principale, sicut illud quod finis est, ad quem « tenditur, quaerite hoc *primum,* id est, præponite « cæteris rebus *regnum Dei.* » Jansenius vocem *primum* ita exponit, ut sensus sit: « Ante omnia, « non tempore, sed dignitate, hoc est, maxime et « præcipue quaerite; » modum quoque id adimplendi subjungit, dum ait: « Quid tum fit, cum ita « regnum Dei præponimus cæteris rebus, ut reliqua ad vite hujus sustentationem necessaria non « queramus, nisi propter regnum Dei. »

**8.** — Scala Jacob bona hæc creata nobis representat, secundum varios hominum gradus; sicuti igitur scalam hanc Angeli quidam descendebant, quidam ascendebant, ita quoque bonis hisce temporalibus homines utuntur, secundum varios ipsorum status, vocationes et professiones; ex hominibus enim alii spectant ad vitam activam, alii ad contemplativam; alii scientiis, alii laboribus insudant, alii Reipublicæ, alii familiæ regimini incumbunt. In hujus autem scale gradibus figurantur honores, divitiæ, sanitas, amicitia, salus animæ et quidquid a Creatore boni vel pulchri productum fuit; sed ubi pro Deo in hac scala locum invenimus, in qua ejus parte ipsum locabimus? Pro resolutione hujus tantandum, quod Jacob Deum in supremo scale vertice viderit: *Dominum in vertice scale;* quod si scalam hanc ascendere et naturæ, fortunæ ac gratiæ donis frui velimus, felices erimus: si tamen primum in hac scala locum Deo dederimus, non vero illum scale pedibus substraverimus, non prohibemur bona hæc temporalia querere, sed hæc regno Dei antepone.

**9.** — Regius Vates optime nos docet quænam nobis esse debeat hæc de re sententia, dum ait, *Psal. lxxii, 25: Quid mihi est in cælo, et a te quid velis super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* S. Bonaventura, *Serm. II in Dom. III post. Pent.,* ait: « Creatura non ob aliud perni-

« ciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori. »

#### Regnum Dei.

**10.** — Non jubet ut regna terræ queramus, sed regnum Dei nos querere præcipit, illa enim instabilia sunt et sicut cum anxietate, sollicitudinibus et difficultatibus insuperabilibus acquiruntur, ita pariter cum inquietudinibus et perturbationibus continuis possidentur. Innocentius III qui id, quod reipsa expertus fuit, scribit, cum de contemptu mundi tractat, ita disserens: « Sed esto, quod « sublimetur in altum, statim curæ succrescent, « sollicitudines cumulantur, vigiliæ prodacuntur; » verum quidam est, purpuram propriam esse regum vestem; at vero, ut S. Ambrosius ait: « Quid purpuram memorem, quæ regum amictus imbut? » sanguis quo hæc lana tingitur, ex pisce exprimitur, qui non nisi inter procellosas maris undas capitur, in quibus Magnatum sollicitudines denotantur: « Aquarum est igitur, quod in regibus « adoratur, aquarum est species illa, quæ fulget. » Nullus est panis, qui blattis et tineis magis subjectus sit quam purpura, ut inde doceamur, quod sceptræ et imperia magna annexa habeant fastidia, inquietudines, anxietates; at vero in eo, quod est regnare cum Deo animam suam invenit quietem, suum gaudium et omnimodam satisfactionem in hoc regno habet. Tria sunt illa S. Augustini verba: « Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum « est cor nostrum, donec requiescat in te; » tunc et non prius Ecclesia quietem animæ annuntiat, quando primum huic regno pedem intulit, tunc primum dicit: *Requiescat in pace.* Mundi hujus dignitates appetitum nostrum non satiant, sed potius magis magisque accendunt. David, qui ex statu pauperis pastoris ad supremos honores ascendit, regnumque non modo Israëliticum, sed et plurimum aliarum provinciarum sibi comparavit, confessus est, se minime contentum fore, donec ipsi in beatum illud Regnum aditus concederetur, *Psal. xvi, 15: Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

#### Et justitiam ejus.

**11.** — « Est autem justitia Dei, » inquit Jansenius, « quia coram Deo justus sumus per fidem et « mandatorum Dei operationem. » Hugo Cardinalis ait: « Quaerit oratione et opere et justitiam ejus; « ecce bonum spirituale, quod est via ad regnum. »

**12.** — Cajetanus ait: « Non possumus vere « querere regnum Dei, nisi simul queramus justitiam ejus, quæ est, ea quæ sunt debita secundum « regnum ejus. »

**13.** — Experientia nos semper quotidiana docet, quod illi, qui servitio Dei totaliter vacant, ejusque obsequio penitus se dedunt, in cunctis necessariis melius semper provisi sint, quam illi, qui in sua

industria et anxietate confisi, bona sibi temporalia accumulare student; veritas est enim in pluribus Scripturæ locis repetita, *Psal. xxxv, 25: Junior fui, etenim senui, inquit David; et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem;* idem pariter alibi dicit, *Psal. xxxii, 16: Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordiam ejus, ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.* Apostolorum Princeps populos fideles, Deo totaliter deditos animaturus, ne de divina ejus providentia diffiderent, his eos verbis hortatur, *I Petr., v, 7: Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.*

**14.** — S. Bernardinus S. Francisci sequaces considerat, qui maximam et omnem possibilem paupertatem professus fuit, eamque per inviolabilem observantiam, instituta abs se religioni imposuit, et dicit: « Sui sequaces sunt quasi omnia habentes et nihil possidentes; omnes laboratores et mercatores, et artifices laborant pro fratribus minoribus; nam qui mille mundos spernit, donatur mille mundis. »

**15.** — Salvator, priusquam nos panem in oratione dominica petere docuit, Deum a nobis Patrem prius appellari voluit: *Pater noster, qui es in celis,* ut nos tanquam veros ejus filios exhiberemus, *Mat., 1, 6: Si ego pater, ubi est honor meus?* Et ideo mox nos ipsi laudam et gratiarum tributum solvere docuit: *Sanctificetur nomen tuum:* item sanctam ejus legem adimplere: *Fiat voluntas tua;* siquidem in lege Domini voluntas ejus: hincque ordinem in dicta oratione ideo servavit, ut sciremus, tunc nos bona temporalia fiducialissime petere, nobisque promittere posse, si innocentes, legis observantes, Deique timore imbuti fuerimus.

*Et hæc omnia adjicientur vobis.*

**16.** — Mysterio non vacat verbum *adjicientur.* Lyranus ait: « Non dixit, dabuntur, sed *adjicientur*, ut discas, quod presentia nihil sunt ad magnitudinem futurorum. » S. Gregorius eadem verba ponderans, dicit: « Qui enim non ait: dabuntur, sed *adjicientur*, profecto indicat, aliud esse, quod principaliter datur, aliud quod superadditur, quia enim nobis in intentione eternitas, in usu vero temporalitas esse debet: illud datur et hoc nimium ex abundantia superadditur. » Idem quoque Sanctus majori hominum parti inordinationem suam exprobrat, quod scilicet sollicite petant, quod est accessorium, neglecto eo, quod est principale: « Et tamen, » inquit, « sæpe homines, cum bona temporalia postulent, æterna vero bona non requirant, petunt quod adjicitur et illud non desiderant, cui adjicitur. »

**17.** — Hugo Cardinalis penam et supplicia, ob id nos manentia, ob oculos nobis ponens, *Hom. xxii,* dicit: « *Adjicientur*, non dabuntur, inquit, ne poten-

« tur æquiparanda regno vel virtutibus, et non « dicit, quærenda esse, ne poterit terminus esse « humane viæ; *adjicientur* adjectivo modo non « substantivo; væ autem illis, qui faciunt de adjectivo substantivum. »

**18.** — Chrysostomus similem fere observationem circa hæc verba habet: « Non dixit, » inquit, « dabuntur, sed *adjicientur*, ut scilicet discretis « horum, que in presenti dantur, nihil esse « omnino magnum, si futurorum magnitudini « comparentur, et ideo non quidem illa jussit. »

**19.** — S. Anselmus Christum primo dixisse observat: *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis,* ac proinde non dixit: quia necessitatem nostram sciens, « ideo ipse, sponte adjiciet; notat, quod « dicunt, *adjicientur*, id est, superponentur, quia « non sunt minus principale, sed superaddita: « mentum; » denique idem S. Doctor concludit, Christum nobis insinuare voluisse, quoniam in conceptu et estimatione bona hæc terrena nobis habenda sint: « Ne petantur ut principalia, sed ut « vaticum, quo sustentantur homines in viæ. »

**20.** — Reliquum est, ut ad objectionem quandam respondeamus, que nonnullam prima facie difficultatem secum subinfert; etenim Carthusianus, in *Matth.*, ait: « Nonne aliqui Martyres fame « extincti sunt, et multi justis maximas patientur « penurias? » S. Thomas auctoritatem S. Augustini adducens, dicit: « Obijcit Augustinus de Paulo, « quia dicit: *In fame, et siti, et nuditate laboravi.* » Paulus de Palatio ad eundem Paulum se reflectens, dicit: « At quis Paulo regnum Dei quasivit vehementius? Hæc cum vident imperfecti, potius « sollicitudini suæ se committunt, quam promissioni divine; » verum enim omnes, que a sacris Interpretibus ad prædicta loca adhibentur rationes, pro intento nostro efficaciter concludunt.

S. Thomas cum S. Augustino respondens, dicit: « Sicut medicus aliquando abstrahit cibum et potum « infirmo, ut curet eum, sic Dominus, qui habet « providere, permittit hominem pati, vel ut curetur, si curanda sint aliqua, vel ut alii exemplum « recipiant. » Dionysius Carthusianus ait: « Sæpe « numero subtrahuntur prædicta electis, ad eorum « probationem et copiosius meritum. » Jansenius aliam adducit ponderationem, seria consideratione dignam; præcipue ad consolationem illorum, qui licet divino servitio totaliter sint dediti, nihilominus ex paupertate sua angustiati lamentantur; dicit igitur hic Auctor: « Non promittuntur temporalia, « nisi tanquam adjutoria salutis; proinde cum Deus « illa subtrahit, quod sic expedire saluti quorumdam judicat, non promissionem suam irritam « facit, sed diversa ratione eandem salutis eorum « curam gerit; » adducitque similitudinem alicujus, qui, ut infirmum jumentum suum sanet, pabulum ei tollit ac dimittit, nec tamen ob id judicandum

est modicam illius curam habere, sed potius manifestum prodit sollicitudinis indicium, qua sanitatem ejus procurare satagit. Paulus de Palatio querit, quis panis dicendus sit sapidior et substantiosior: « Quis dicit cibum habere, an is, qui cum cibo, « quem habet, dolet, an qui cum cibo, quo caret, « gaudet? Plane cibum queritur, ut animus cibo « contentus sit; qui igitur fame contentus est, is « magis habet, quam qui cibo contentus esse nescit. « Hæc est igitur divina providentia, ut, si regnum « quæras, aut cibum tibi adjiciatur, aut, quod est « cibo majus, animus scilicet sua sorte contentus; » quibus igitur Deus non dat panem, patientiam donat et in egestate lætificant. Tale erat donum S. Paulo communicatum, dum ait, *Phil., iv, 12: In omnibus institutus sum, et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati;* unde idem Auctor subjungit: « Da tu mihi hunc animum, et ego « regias opes tibi relinquo. » Inter alias similitudines una est, quæ presenti proposito nostro specialiter deservit, *Mat., v, 6: Beati qui esuriunt et sitiunt;* et *Luc., vi, 21: Beati, quia tunc saturabimini.* S. Paulinus panem illum nunquam hominibus deesse posse ostendit, qui de semetipso dicit: « *Ego sum panis vivus;* quid igitur a me famem « metuis, si fidem habes? Panis tuus tecum est, si « verbo Dei pasceris, non desiderabis escam venetris, » et paulo post subjungit: « Nihil habemus « nisi Christum, et vide, si nihil habemus, qui omnia « habentem habemus. »

#### Additio.

**a.** — *Querite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus.* Hic merito finis noster esse deberet, et expediret illuc semper mentis oculos dirigere, regnumque hoc serio contemplari, ut inspectis ejus bonis, diligentes redderemur in illo nobis comparando, maxime cum ad illud possidendum creati simus. Enimvero, si forsitan quaesieris, ubinam locorum regnum istud a nobis queri debeat, quod constat multis milliarium millionibus a nobis esse remotum: *Quis ascendit in celum?* Huic ego vobis ipsiusmet Christi Salvatoris nostri respondeo: *Regnum Dei intra vos est. Luc., xvii, 21.* Verum diceres fortasse, qua ratione fieri poterit, quod regnum celorum adeo vastum et immensum, in unica dumtaxat anima reperitur? Ac proinde sciendum,

quod sicuti is qui indubitatum jus habet, ut in regno aliquo succedat, rex committere vocari solet, tametsi sceptrum regni illius actualiter non moderetur, ita quoque dici posse videtur, quod is qui gratiam Dei in anima sua possidet, quæ pignus quoddam et semen est gloriæ, regnum Dei quoque intra se habeat. Id quod S. Ambrosius opportune confirmat, dum super illa verba: *Adveniat regnum tuum,* ita scribit: « Veniat regnum tuum, quasi non « venerit; sed tunc venit regnum Dei, quando ejus « estis gratiam consecuti; ipse enim ait: *Regnum « Dei intra vos est.* » Profecto, prima facie accommodatus nos in oratione Dominica, dicere posse videri posset, si ita orassemus: Veniamus ad regnum tuum, quam si diceremus: *Adveniat regnum tuum* intra nos. Et tamen is qui omnia in sapientia dicit et fecit, optime nos docuit, quia nos ad gloriam adire nequaquam possemus, nisi prius illa in animam nostram illaberetur, illamque imbueret; illa, inquam, non reipsa, sed in pignore; non in flore, vel fructu, sed in semine. Semen autem gloriæ, gratia est, quæ appellatur gloria inchoata, sicut gloria, gratia consummata; vel etiam dicere possumus, quod quia adeo in gloria cœlesti acquirenda et ambienda pigri, desides et inertes sumus, ut opus esse videatur, ad hoc ut illa froi possimus, ut illa ad nos veniat, nobisque occurrat, id quod cum illo Apocalypseos textu optime consonat, in quo S. Joannes, cap. xxi, 2, sequentem visionem habuisse scribitur: *Vidi Jerusalem novam descendentem de celo, paratam sicut sponsam ornatum.* Etenim quod in illa visione Jerosolyma cœlestis instar elegantissimæ adornatæ sponse cujusdam, se videndam præbuerit, nihil in se mirum habet; hoc enim factum fuisse dicere possumus, ut hac illius speciositate, et extimio ornatu, major in nobis erga illam exciteretur desiderii ardor, et vehementia affectus: at vero maxime notandum est modus et phrasim illa loquendi, dum ipsamet de celo descendisse, et hominibus velut obvia occurrisse dicitur: *Descendentem de celo,* quod bene cum illis verbis *Luce, x, 9,* consonat, ubi dicitur: *Appropinquavit in vos regnum celorum.* Ad hoc igitur ut nos gloriam cœlestem desideremus, et ad illam consequendum nos accingamus, opus est ut cœlitus nobis gratia Dei, dona et virtutes infundantur, ut in virtute gratiæ ad gloriam ascendere valeamus.